

Johann Bacmeister

Rector Academiae Rostochiensis Joannes Bacmeisterus, Phil. & Med. Doct. ac Professor, Ad Lugubre officium deducendi funus primariae & honestissimae matronae, Dorothaeae Jünglings/ ... viri, Dn. Joannis Kellermanni, Consulis huius Reipubl. dignissimi relictæ viduæ, Quod Moestissimi liberi matri desideratissimæ præstari cupiunt, Omnes omnium ordinum cives Academicos officiose & amanter invitat

Rostochi[i]: Pedanus, 1626

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771008465>

Druck Freier  Zugang



Bacmeister, J.,
in D. Jüngling,
uxor. J. Kellermann.

Rost. 1626.

46

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS

JOANNES BACMEISTERUS,

Phil. & Med. Doct. ac Professor,

AD

*Lugubre officium deducendi funus primariae &
honestissimae matronae,*

DOROTHAÆ

Jünglings /

Amplissimi quondam & prudentissimi viri,

Dn. JOANNIS KELLERMANNI,

Consulis hujus Reipubl. dignissimi
relictæ viduæ,

QUOD


*Mæstissimi liberi matri desideratissime prestari
cupiunt,*

Omnes omnium ordinum *Acad-*
micos officiosè & amanter invitat.



ROSTOCHI
Typis PEDANIANIS,

ANNO c^lo 1^o CXXVI.



RECTOR

ACADEMIÆ ROSTO-
CHIENSIS,

JOANNES
BACMEISTERUS,

Phil. & Med. D. ac

Professor.



*N*ter alia hujus vite mala, nihil magis formidamus quam mortem; idq; ex inani inscitia & sani judicij penuria, potius, quam ut illam incommodare nobis ulla ratione posse, statuere debeamus. Nam si probe intelligeremus, quid sit, & intelligendi gratia scripturam, Spiritus Sancti scholam, frequentaremus aliquantò diligentius; facile intelligeremus, quo fundamento nitatur metus ille, qui adeò nos terret, cum de morte aut cogitamus, aut mentionem fieri audi-

audimus. Hic enim viventes, ut D. Paulus inquit,
absumus à Domino: per fidē siquidem incedimus, nō
per aspectum: morte verò è corpore migrantes, pro-
ficiscimur ad Dominum. Hic gemimus, oppressi fa-
scibus peccatorum, tentationum, molestiarum &
malorum: morientes exoneramur, levesq; & in-
columnes evadimus. Hic in perpetuo ferè fletu degi-
mus: morimur ut cum aeterno risu & gaudio Deum
celebremus: Hic in solitudine quasi, undiq; bellis,
cedibus, varijsq; calamitatibus cincti, multisq; &
infinite incommodis obsessi moramur; cum decepsi-
mus, vivimus in locis beatis, cum familiaribus &
amicis quos premisimus, bonis omnibus affluentes.
Hac vita nos ergastulo conclusos tenet, mors verò li-
berat. Hic viventes hybernamus per brumam du-
ram & asperam, morientes ver mitissimum & a-
mœnissimum ingredimur. Hic vivimus servi, mo-
rimur ut regnemus. Hic agimus cum barbaris, in-
fidelibus, malitiosis, superbis, avaris, rixosis, nobis,
displicentibus, & quibus vicissim displicemus: mo-
rimur, ut perpetuò versemur cum sanctificatis, ju-
stis, mansuetis, misericordibus, pacificis & corde
puris, dantes & percipientes immensam voluptatē.
Edimur in lucem mortales, & viventes assidua
mortis formidine terremur; hanc vitam caducam
relinquimus, ut immortalem consequamur. Deniq;
hic vivimus ut consenescamus, atq; moriamur: mo-

rimur ut juvenescamus & cum Deo vivamus in
perpetuum. Non igitur formidanda, sed potius op-
tanda mors veris Christianis, siquidem à tot &
tantis, per eam, malis liberati, ex turbulento hoc
mundi pelago, in aeternum felicitatis & tranquilli-
tatis portum transferamur. Gratulandum igitur
matronæ optimæ & piissimæ DOROTHÆ Jünglin-
ges / Dn. JOANNIS KELLERMANNI, Consulis hujus
Reipubl. meritiissimi p. m. viduæ, quod Deus opt.
max. eam tādē, ex longæva, quam singulari ipsius
benedictione, consecuta est vita, molestiarum ac la-
borum plena, per mortem a vocare, & ad aeternitatē
illam cœlestis vitæ ac beatitudinis, per Christum no-
bis parte, perducere voluerit. Abijt autem ex hoc
mortalium cœtu honestissima modò dicta matrona,
pietate, morum gravitate, omnibusq; matronalibus
virtutibus conspicua, 30. proximè elapsi mensis
Maij circa meridiem, vitæ & laborum satur, gra-
vissimis colicis & calculi doloribus per multos annos
excruciata, & feбри accedente viribus prostratis ac
penitus exhaustis. Nata illa fuit honestissimis paren-
tibus in oppido hujus provincie Gadebusch, patre
BERNHARDO Jüngling / qui à teneris Duci Joanni
Alberto & duci Udalrico felicissimæ recordationis
principibus, primò in aulis, deinde in obsidione Haf-
niensi suam fidem & industriam in Secretariat u a-
deò probavit, ut tandem rei monetariæ Illustrissimo-
rum

rum Ducum Megapolensium in oppido Gadebusch /
nec non civitatis WisMariensis praeficeretur. Ma-
tre ELISABETHA Rupfferschlegers, ex Westphalia
oppido Horn non incelebri oriunda, qua unicā hanc
filiam DOROTHEAM huic marito suo est enixa &
Anno 1600. IV. Calend. Martij aetatis 92, postquā
per integros 30. annos filia sua carissima, jam piē de-
functa, cohabitasset, è vivis excessit. Avum pater-
num habuit, NICOLAUM Jüngling / Consulem Neo-
brandenburgensem meritissimum. Avus mater-
nus ipsi fuit HERMANNUS Rupfferschleger / a via ve-
rò GODE vocata. Ab hisce majoribus orta piē defun-
cta à parentibus suis ad pietatem, omnesq; virginal-
les virtutes est educata & assuefacta. Nubilem au-
tem aetatem cum attigisset, honesto virginis amore
captus, eam sibi delegit vitæ sociam, eruditione &
virtute praestantissimus vir, Dn. HENRICUS SCHRA-
DERUS, Secretarius Megapolitanus, cumq; ea Ga-
debusci solemnes celebra vit nuptias Anno 1571. 17.
Junij, presentibus Illustrissimis ac Celsissimis Prin-
cipibus ac Dominis, Dn. Johanne Alberto & Dn.
Christophoro Ducibus Megap. b. m. Hunc per singu-
larem Dei benedictionem trium filiorum parentem
fecit, quorū duo jam sunt ^{in exilio}, unus adhuc CHRI-
STOPHORUS BERNHARDUS SCHRADERUS, celeberrimi
emporij Anseatici Bergensis in Norvegia, per 18.
annos, secretarius fidelissimus, eruditione usu & re-

rum experientia instructissimus: qui haud dubie, ubi de carissima matris, quam unice dilexit, obitu certior fuerit redditus, illam acerbè lugebit. Privata autem priore hoc marito Anno 1575. Dominica Invocavit, per biennium fermè integrum, in tristi permansit viduitate, donec ex singulari Dei providentia Anno 1577. 4. Februarij, ad secunda vota transfret & amplissimo & prudentissimo viro, Dn. JOHANNI KELLERMANNO, primum Protonotario judicij provincialis meritisimo, deinde Consuli hujus Reipubl. dignissimo, presente Illustrissimo ac Celsissimo Principe ac Domino, Dn. Christophoro, Duce Megap. beatæ memoria, matrimonio jungeretur. Hic vir quantus fuerit, & quam egregijs donis à Deo ornatus, prudentia, consilio, authoritate pluribusq; virtutibus alijs, norūt omnes, piè defunctum qui norunt. Aliquot, civitatis nomine, Legationes arduas obiit: Comitijs provincialibus aliquot interfuit, varios rerum & fortuna casus & vicissitudines est expertus, quos tamen omnes mente & fiducia in Deum erecta, invicto animi robore sustinuit & superavit, & in commisso sibi divinitus munere, omnem suam curam & sollicitudinem, omnia sua Consilia, ad communem patriæ salutem & tranquillitatem & in primis Ecclesie ac scholarum incrementum & felicem statum direxit, ijsq; fidelem suam operam usq; ad extremum vitæ halitum, navavit.

vavit. Cum hoc marito suo dilectissimo, pie defun-
cta nostra, in suavi, tranquillo, & fecundo per annos
21. cum dimidio, vixit conjugio, ipsiq; sex liberos pe-
perit, tres filios, tres itidem filias, JOANNEM in prima
pueritia fato functum; BERNHARDUM, civem quon-
dam hujus reipub. primarium, anno 611. denatum
SOPHIÆ vom Stein / Wismaria oriunda, maritum:
& CHRISTIANUM, qui hucusq; in cœlibatu permansit,
ut matricontinuis ferè cum morbis, jam ab annis ali-
quot conflictanti, adesse, eiq; omnia filialis amoris
& obsequij officia prestare eò commodius posset. Fi-
lias quod attinet, eas viris apprimè doctis & præ-
stantissimis in matrimonium dedit; ELISABETHAM
quidem natu majorem, Clarissimo & Doctissimo
viro, Dn. M. PERTO SASSIO, Logices in hac nostra
Academia Professore celeberrimo, affini compatri
& amico nostro honorando, quæ anno 604, nullis
post se relictis liberis, non sine summo carissimi ma-
riti dolore decessit; DOROTHEAM civi apud nos bone-
sto & primario ac templi Mariani prefeclo, CHRI-
STOPHORO Ricken; tertiam SOPHIAM, Clarissimo item
doctissimo & experientissimo viro, Dn. MATTHÆO
BACMEISTERO, Phil. & Med. Doctore, archiatro Illu-
strissimi inferioris Saxonie ducis Augusti, & Reip.
Lunaburgensis Physico ordinario, fratri nostro desi-
deratissimo, qui 7. Januarij currentis hujus anni
cum magna reipub. illius, in quâ vixit, jactura, in-
gens

gens sui desiderium piè defunctæ socrui suæ, nobis & multis bonis relinquens, ex calamitosa & ærumnosa hac vita, in æternam & semper duraturam est translatus, elocavit. Habuit etiam privignam, quæ marito suo beatæ recordationis, ex priorî conjugè *VVipke Groten*, nata erat *ANNAM*, & adhuc per Dei gratiam in vivis est, *Dn. CONRADO DOBBINIO*, Senatori hujus Reipubl. prudentissimo nuptam, quam non secus ac ex senatam, unâ cum reliquis liberis suis amavit, & hac ipsam vicissim non ut nõdrecam sed verè matrem coluit & suscepit. In summa matrona hac nostra, pietatem erga Deum, dilectionem erga proximos, benignitatem erga cognatos & amicos præstitit, domum & familiam suam, diligenti cura, & exemplis virtutum honestè & laudabiliter gubernavit. Cum verò ad graviores ætatem perveniret, & crebrioribus subinde morbis afficeretur; ita ut per triennium ferè templum frequentare & sacris interesse non potuerit, ad beatam ex hac vita migrationem se preparavit, usu cænae Dominicæ, & animam suam redemptori suo *JESU CHRISTO* commendans, piè & placidè obdormivit, Anno ætatis 76. Optamus relictis liberis, spiritum consolationis, ut ipse eorum animos erigat & confirmet, quò tristissimum hunc casum æquo animo ferant, patienter sustineant, & fortiter superent. Fiet autem funus huic primariæ & honestissimæ matronæ hodiè hora media prima in templo Mariano, ad quod cobonestandum ut cives nostri Academici, Domini Professores, DD. MM. Ecclesiæ ministri, & nobilissima studiosorum cohors frequentes, dicta hora & loco conveniant, & hoc officio benevolentiam suam erga piè defunctam, totamq. ejus ornatissimam & amplissimam familiam declarent, seq. Ecclesiam, Academiam, & Rempubl. pijs precibus, Deo quam diligentissimè commendent, officiosè & amanter rogamus & hortamur. P. P. 2. Junij Anno c 13 13 CXXVI.



vavit. Cum hoc marito suo dilectissimo
Et a nostra, in sua vi, tranquillo, & foecun-
di. cum dimidio, vixit conjugio, ipsiq;
perit, tres filios, tres itidem filias, JOAN-
pueritia fato functum; BERNHARDUM,
dam hujus reipub. primum, anno
SOPHIAE vom Stein/Wismaria oriunda
& CHRISTIANUM, qui hucusq; in cœliba-
ut matris continuis ferè cum morbis, jam
quot confluctanti, adesse, eiq; omnia fu-
& obsequij officia prestare eò commoda-
lias quod attinet, eas viris apprimè de-
stantissimis in matrimonium dedit;
quidem natu majorem, Clarissimo &
viro, Dn. M. PERTO SASSIO, Logices
Academia Professori celeberrimo, &
& amico nostro honorando, que ann-
post se relictis liberis, non sine summo
riti dolore decessit; DOROTHEAM civi a-
sto & primario ac templi Mariani pr-
STOPHORO Ricken; tertiam SOPHIAM, C-
doctissimo & experientissimo viro, D-
BACMEISTERO, Phil. & Med. Doctori,
strissimi inferioris Saxonie ducis Aug-
Lunaburgensis Physico ordinario, fra-
deratissimo, qui 7. Januarij curren-
cum magna reipub. illius, in quâ vixi-

